

Bonæ Memoriae

V I R I

*Quondam admodum Reverendi, Am-
plisimi & Doctissimi*

D O M I N I

MAURITII
SEELIG,

In Aula & Urbe Berolinensi
SERENISSIMO AC POTENTIS-
SIMO BORUSSIAE REGI

ac
ELECTORI BRANDENBURGICO,
&c. &c. &c.

à Sacris Concionibus
ex debito P.

Joannes Philippus à Lauvvitz,

S. R. M. Borussiae,

Supremae in Regno Appellationum Curiae
Consiliarius.

VI. Id. Jul. Anno MDCCIX.

Coloniae Brandenburgicae.

Typis, ULRICI LIEBPERTI, Typographi Regii.



* * *

Elogium à me poscit viduata Domus
VIRI, bono Nomine ac Omine, nunc re ipsa Beatissimi,
Domini MAURITII SEELIG;

Et ego quidem Theologo optime merito
ac Innocentiae meae insuper Testi id debeo;

Si modo laudare semper liceret bonos:
postquam haud libere taxare licet malos;
nec dicam scribere vitiis Seculi,
quibus Seculum scatet.

Quod ultimum Elogium JCTo scripsi, multum rogatus,
procul à Satyrâ, (quamvis, ob pessimos seculi mores, non à Sale)
nec tamen à Censura immune fuit;

Quare bonus Piscator
sapere debebam

& manum retrahere de tabulâ;

Nisi aliud mihi munus imponeret Lex gratæ Mentis;

Lex, inter alias, eò mihi charior,
quò magis in mei damnum, vel ibi officium perdit,
ubi id maxime exercere debebat.

Age ergo Calame!

& accingere pro virili, ad commendandam Memoriam
& delineandam Vitam Viri,

Cui quoque, quod hoc Elogium scribere licet,
acceptum fero.

* * * *

Beato MAURITIO SEELIG

Vitam Cassellis dedit Annus M. DC. LXVI. d. XXI. Nov.

Parens Consularis Dignitatis,

Mater è Gente MUSCULORUM fuit;

Qui in Helvetiâ olim,

quicquid insipidi, injuriâ an incuriâ temporum,

Religioni superstitione affricuit,

Evangelicæ Veritatis sale,

corrigere cum aliis annisi sunt.

Inde, in primò Ætatis flore, bonæ frugis,

Frugum magnarum spem & speciem de se præbuit.

Ad literas æque ac bonos mores docilis,

quò magis ætate, eò magis Pietate ac Eruditione crevit;

Quæ Virtutes cum annis, at magis cum Dignitate

Insigni-

insigniter auctæ sunt;
 Prout ab artium Culturâ,
 meliorum quoque virtutum Calatura pendet.
 Anno Ætatis XVIII. Philosophiæ ac Theologiæ operam dare
 in Academia Palatina cœpit;
 Ultramque magis in Ultrajectina excoluit.
 Hassniensem adiit;
 ut, quid Cathedra Lutheri doceret,
 ab ipsis ejus Doctoribus perciperet.
 Regiomontum cogitavit;
 Cum verò Gedanum transfret,
 Consistorio & Coetui Reformatorum
 Veteranus quidem visus est in Tyrocinio;
 Ut verò bonus CHRISTI Miles, totâ Panopliâ instrueretur:
 Sumptus suppeditante dicto Consistorio,
 in Magnam Britanniam Anno M. DC. XC. transfretavit;
 ac in utraque severiorum literarum Palæstra, Oxonii & Cantabrigiæ,
 cum sacris literis, perpetuum in illas amorem imbibit.
 In reditu aliquantisper Lugduni hæsit;
 Et Patria quidem retinere Alumnum voluit;
 ut, quæ Regio ipsi Vitam dederat,
 illa rursus Verbo Vitæ ab ipso reficeretur:
 At dulcis Amor Patriæ exulare jussus est
 ab Anima beneficii memore:
 Tum, radios virtutis, ultra Patriam diffundere debebat!
 Gratus ergo redire voluit,
 unde ante tres annos exierat;
 Et, ut honoratior rediret,
 Francofurti ad Viadrum, quod de Cursu Theologico restabat,
 per sesqui-annum, magnò cum fructu emensus;
 Anno M DC XCIII Gedani,
 in socium Honoris & Muneris Ecclesiastici ascitus est;
 Ubi tamen, movente & monente NUMINE, haud diu subsistit;
 Cum Viri Merita sensim,
 supra altius Candelabrum poni deberent.
 Quare eodem Anno Castrinum vocatus,
 ut Ecclesiæ præset & Consistorio adlideret:
 Spartam hanc, per integrum sexennium,
 Fama & veritate iudice ornavit, ut debuit;
 Et, sicut felix est virtus,
 quæ propriis Alis ad altiora fertur, etiam quæ non ambit:
 Ita hujus Viri Decora, post beati WILHELMI COCHII fata,

Suæ rursus REGIÆ ornamēto fore,
 Sapienter, ut omnia, judicavit
 Serenissimus & Potentissimus REX BORUSSIÆ FRIDERICUS;
 prout in HUIUS REGIS Aula, Pietas quoque & Virtus domi sunt;
 nec dicere hic licet: procul hinc, qui profanus non est!
 Cùm ergo HUIUS REGI in pretio esse deberet:
 Ideo anno MDCXCIX Berolinum ivit;
 ut ibi ECCLESIAE prodesset & AULÆ.
 Semita scilicet Justorum, quasi Sol procedit,
 & crescit usque in perfectum diem:
 Tum, Vir velox in opere stabit vel coram REGIBUS!
 Beatus MAURITIUS SEELIG, Officio suo ubique par,
 & ideo nec MAGNO ANTECESSORI impar,
 ECCLESIAE ET AULÆ non profuit solum,
 Sed &, quod rarum est, placuit;
 Etiam, cum Os liberum, Vultum constantem habuit.
 MAURITIUS, quasi Marti natus,
 quia sacræ Militiæ à teneris se addixerat:
 Hinc, ad quamcunque Ecclesiam venit,
 Illius Lux & Dux fuit;
 Auditores suos eandem Militiam docens,
 debellare scilicet vitia,
 & sic non Castra expugnare, sed Astra & Cælum,
 quod rapiunt violenti.
 In hunc finem, macula semper verba protulit;
 Prout APOSTOLICAM olim Facundiam
 fari solitam fuisse, credibile est.
 Affectata simulatio, non cecidit in Virum ingenuum.
 Ab Ore igitur ejus,
 non facundus solum, sed & fecundus verborum Imber profluxit;
 Et sic benè irrigavit Plantas,
 quibus incrementum dare, DEUS destinaverat;
 Dum facile Cælum evadere potest terra,
 quæ sic irrigatur.
 Et est in multis quidem, Oris flumen, Mentis gutta:
 At Beatus SEELIG verba dedit, eaque vera;
 Verba non vento, sed SACRATIORI plena SPIRITU;
 utpote ex cœlesti deprompta Penu.
 De Verbo DEI dicturus, divinâ excelluit Eloquentiâ:
 Et sic, in divinæ Legis obsequium Auditores quoque traxit;
 Bonos ad progressum, vacillantes ad robur.

firmos ad perseverantiam animans.
O for novitatum, bene tamen & vetusta renovare scivit.
veterem Legem combinandò cum novà;
in hominem novum reformandò veterem.

Interim, qui hæc legis, scias,
magnum Præceptis pondus addidisse, Viri Exemplum;
Prout necessaria plane est Pietatis & Doctrinæ Societas;
Quibus Columnis, Ecclesiarum incolumitas nititur:

Et hæc demum vera est Unio,
cum Doctrina & Vita invicem conspirant.
Preiosum ergo Unionem reperit, qui huic Unioni studet!
Ut enim Pax absque Veritate; sic Doctrina absque Vitâ,
diurna est, non diuturna.

At quàm multi lupum tegunt sub Ove!
Esavi; Jacobum simulantes voce!
In Beatò Virò Moris & Oris Unio fuit;
Christianus & Fide & Vitâ apparuit.
Sapere Lingvâ, vivere Vitâ docuit;
nec unquam à Lingvâ Cor dissenfit.
Neputa interim, Christiane Lector,
quod, qui Cato fuit in suggestu, Aristides in vitâ,
In civili conversatione Luciani Timon fuerit.

Concionator dotibus singularis,
Humanitate fuit quasi quotidianus;
in communi sermone & comis & facetus & hilaris.

Vitæ inculpata Candor,
hinc Mores ejus ad Gratiâ formaverat:
Inde Germanum Candorem, Vir lætæ Gravitatis,
innocentibus condire lusibus amavit.
In serenâ tamen Fronte, & Voce affabili,
nec Voluntas inops fuit.

Manum auxiliatricem sentere,
quicumque vel Consilii vel Opis caulâ Fores ejus pulsârunt;
Ut hac ratione Vir esset in omni vitâ sçavis;
Sine ambitu, nec tamen sine Gloriâ;
Dum injunctis quoque Commissionibus,
cum Fide & Dexteritate defunctus est.

Quæ scribo:
Ea, licet non sine affectu,
tamen non ex affectu, sed compertâ Veritate scribo.

Vir beatus, Negotiis immortalus est;
 Quæ inter, meum quoque bene finiit;
 Vir, non Officio tantum & Moribus,
 Sed Officiis quoque erga Proximum sanctus.
 Unde, cum aliud redhostimentum nequeam:
 saltem Parentale hoc Elogium,
 invita licet Minervâ, lubens scribo;
 Dum nec obtenta per illum Palma,
 dolorem de Præfulis ex asse candidi jactura,
 solari potest.
 Et hætenus quidem mœsto saltem silentiò,
 mortem ejus dolui:
 Nunc mœsti Fratris desiderio obsequens,
 dum Luctui Pietas succedit,
 vocali quoque Elogiò prosequor.
 Solvit ille debitum Naturæ:
 Ego illi gratæ Mentis exsolvo debitum;
 Quamvis non totum!
 Usque enim cura mihi erit, Illius meminisse;
 Nec unquam mihi totus excidet!



In potissimam Elogii partem ECCLESIA hucusque venit:
 Pauca addam de FAMILIA:
 Prout Clericis quoque, haud adeò interdictum esse reor,
 Mundo Homines, Patriæ Cives, Cælo beatas procurare Animas.
 Matrimonium ergo Beatus SEELIG anno MDCXCVI contraxit,
 Cum lectissima Virgine RUSSELMANNIA;
 Ex quo superstes remansit
 Par unicum Liberorum utriusque Sexûs;
 in quod, per traducem quasi & traditionem,
 Paternæ Pietatis Exemplum transibit;
 Quò sicin utroque Sexu, UTRIUSQUE colatur CONDITOR.
 Pacem domesticam egregiè cultam,
 Mors tandem in Familia turbavit;
 Et pari ratione, quod magis dolendum,
 Optimo Pastori, in Ecclesia unum defuit:
 Vita longior.
 Annus MDCCIX vixdum exortus,
 Vitæ occasum ipsi minatus est;
 Præconi velut emerito;
 Quia de Ecclesia CHRISTI benè meritus erat.

Ab ingrato hospite an hoste, clam petitus;
at mox palam correptus, ac sensim consumptus,
pedibus vel aëgis, ad Cælum ivit;
Morte insperatâ, nec tamen imparatâ defunctus
die post Dominicam Quasimodogeniti;
Quasi per mortem demum,
ad Vitam æternam regenerari voluisset;
ad Nominis Erymon nunc verè beatus;
ut ne id, vanam Nominis umbram fuisse putes.
Nam sicut Viri nomine, Vita ejus exprimebatur:
Ita ille nunc est, qui ante sic dicebatur, verè Beatus;

Quin fors ejus
Tantò nunc beatior, quanto stabilior est!
Quamvis in hac vita, Beatitudinem is inchoat,
cui jam tum in hac vita, DEUS-HOMO,
Unica eaque sola vera in propitiationem HOSTIA est.
In hunc DEUM-HOMINEM,
qui erecta fiducia moritur:
haud moritur!

Beatus MAURITIUS SEELIG,
Sicut in vita strenuus CHRISTI Athleta:
Ita mortis quoque intrepidus
& ad ultimum vitæ momentum sibi præsens fuit.
Mors Virum non prostravit;
Quia, ut Vir, vel moriendo stetit.

Et cur caderet,
Qui DEO piè, sibi castè, ubique justè vixerat?
Vitæ illius compendium,
fuit Functio Ecclesiastica,
ad ultimum Vitæ halitum fideliter exercita.
Fidelis ergò servus, ubi DOMINO visum fuit,
mente, ultra quàm decet Christianum, haud reluctante,
feliciter intravit in Gaudium DOMINI;
Hic verò adhuc vel in Cinere suo triumphat;
Postquam vel Homo, humanis libenter valedixit;
& pro piis exantlatis laboribus,
æternæ Vitæ Præmia accepit;
Quamquam, dum Animam Cælo reddidit:
REGI & Aulæ dolorem,
Ecclesiæ insignem pæcturam,
Omnibus, & inter hos, mihi quoque,

Ingens



Ingens Sui desiderium reliquit.
Genus mortis
Ardor fuit venarum emortalis;
Ubi tamen carnem depascens æstus,
Animi ardorem auxit, anhelantis ad Cælum;
Et sensim solo DEI desiderio Vir DEI spiravit;
Postquam vires defecissent.
Cum vires corporis minucrentur: creverunt spirituales.
Imbecille corpus, erexit Spiritus vigor.
A Verbo Vitæ, Mentis Sanitatem retinuit,
vel morti vicinus.
Tandem, cujus Vita vigilia: Ejus mors somnus fuit;
Mente jam quasi Cœlitum Choris inserta.
Atque sic stetit, sic dixit, sic vixit
Vir beatissimus MAURITIUS SEELIG!
In seculo vixerat, quasi extra seculum esset:
Nunc est supra seculum!
Insignis Verbi Divini Præco, eorum nunc numero additus est,
qui silent;
An potius, qui laudant DEUM in secula!
Non substitit utique in cursu;
sed Metam Agonis attigit,
rectoque Fidei calle servavit viam:
Quare illi reposita est, in REGIA ET CURIA COELESTI.
pro fideli animarum cura, Corona Justitiæ.
Hic verò vivit, etiam mortuus;
Qui in vita mortuos vivere docuit.
In Merita enim Viri, mors nihil Juris habet;
Et hæc, vel Viro moriente, mori nequeunt.
Candor illius durabit in tumulto;
Et forte ephemeram ejus Vitam,
olim vel hæc mea producet Ephemeris!
Tu viator, qui hæc legis,
imitare præcuntem:
Sequæris!
Et forte,
Quid jam jam instans vesper tibi vchat,
nescis.
Justitiam discere monitus,
&, quicquid agis, respice finem:
Finis coronat omnia!



Bonæ Memoriae

VIRI




Quondam admodum Reverendi, Amplissimi & Doctissimi

DOMINI

MAURITII
SEELIG

x-rite

colorchecker CLASSIC



Staatsbibliothek
zu Berlin
Preußischer Kulturbesitz



Coloniae Brandenburgicae,
Typis, ULRICI LIEBPERTI, Typographi Regii.